

eadem causa erant et propter multorum annorum iniurias alienati a senatu putabantur: quos minime mirum est communicata cum eis re publica fidelis *esse*, qui etiam expertes eius fidem suam semper praestiterunt. His igitur omnibus 5
5 victoriam sperantibus pacis nomen adferemus, id est desperationem victoriae?

Quid si ne potest quidem ulla esse pax? Quae enim est 11
condicio pacis in qua ei cum quo pacem facias nihil concedi potest? Multis rebus a nobis est invitatus ad pacem
10 Antonius: bellum tamen maluit. Missi legati repugnante me, sed tamen missi; delata mandata: non paruit. Denuntiatum est ne Brutum obsideret, a Mutina discederet: oppugnavit etiam vehementius. Et ad eum legatos de pace mitemus qui pacis nuntios repudiavit? Verecundio remne
15 coram putamus in postulando fore quam fuerit tum cum misit mandata ad senatum? Atqui tum ea petebat quae videbantur improba omnino sed tamen aliquo modo posse concedi; nondum erat vestris tam gravibus tamque multis iudiciis ignominiisque concisus: nunc ea petit quae dare
20 nullo modo possumus, nisi prius volumus bello nos victos confiteri. Senatus consulta falsa delata ab eo iudicavimus: 12
num ea vera possumus iudicare? Leges statuimus per vim et contra auspicia latas eisque nec populum nec plebem teneri: num eas restitui posse censetis? Sestertium septiens
25 miliens avertisse Antonium pecuniae publicae iudicavistis: num fraude poterit carere peculatus? Immunitates ab eo civitatibus, sacerdotia, regna venierunt: num figentur rursus eae tabulae quas vos decretis vestris refixistis? Quod si ea 6
quae decrevimus obruere volumus, num etiam memoriam rerum delere possumus? Quando enim obliviscetur ulla posteritas cuius scelere in hac vestitus foeditate fuerimus? Vt
30

3 *iis ns, Halm: is t: his b esse Poggius: om. D* 7 *ne b: non cett.* 9 *est om. tv* 17 *videbantur om. tv* 18 *gravibus b¹: gravissimis cett.* 19 *conscissus v* 22 *-sumus iudicare] hic rursus incipit V (cf. ad xi. 17)* 27 *civitates D* 29 *volumus om. V¹*